



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,  
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

E Societatis Iesv Litteris In Evropam De Obitv Consalvi Sylveriae Lusitani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11473**

enim incolarum cibaria sunt) mihi qui oua coëmeret. is autem mihi mox oua cum ipsis nummulis retulit. Causam querenti respondit, incolas oua, quòd dies ille festus ipsorum esset, vendere noluisse: quòd ægroto quærentur, dono dedisse. Denique in Bungum ægre peruenimus: ibi quanquam à Cosmo ac Sociis amantissimè acceptus, humanissimèque tractatus, vix tamen adhuc è diuturna ægrotatione conualui. Vos clementissimum Iesum obsecrate fratres, vt mihi ad se perfectè colendum vires animumque suppeditet. è Bungo, Calend. Octob. M D L X I.

E SOCIETATIS IESV LITTERIS IN EVRO-  
PAM DE OBITU CONSALVI SYLVERIAE  
Lusitani.



ONSALVI Sylueriæ nostri felicem obitum hac epistola persequemur. Is circa initium anni MDLX. cù Sociis duobus Goa discessit in regna quæ dicuntur Inhambanis & Manomotapæ, vt nationibus illis Euangelium nuntiaret, quòd concionatorum inopia nunquã probè cognouerant. Vt primùm Inhambanè attigere, morbo corripiuntur ita graui, vti Consaluis natura valentissimus, oculorù acie vehementer habetata fractisq; viribus, propemodum extinctus sit. Vbi paulo melius habuere, ad urbè Regiam Tongen iter intendunt. ibi Regè vnà cum vxore, sorore, liberis, cognatis, regniq; proceribus, populo denique penè toto intra paucos dies magna omniù gratulatione atq; lætitiâ sacro fonte lustrarunt. Rex Constantini, Regina Catharinæ, soror Elisabethæ nomen assumpsit. Inde Consaluis rei Christianæ causa relictis apud Regem Sociis, Manomotapam ire pergit, comitabantur amici Lusitani sex; orà vnica biremi legebant; Mosambico insula superata, vix ad Mafutæ fluminis ostium leucas nonaginta processerant, cùm atrox coorta tempestas, Consalui deprecatione repenrè sedatur atque comprimitur. Inde exscensione facta, die qui fuit diuo Hieronymo sacer, plicatilis ara in ipso littore ad sacrificium excitatur, ita vehementi Solis ardore, vt calceati Lusitani, terræ calorem ferre vix possent. Consaluo autem inter sacrificandum eruperunt ex toto capite pustulæ: quas cùm ad curandas medicamenta nequaquam deessent, præclaro sui ipsius odio incensus ille cuncta repudiauit, seque naturæ dumtaxat sanandum permisit ac tempori. Triduum ibi morari, tranquillo mari prouehuntur ad Colimanem fluuium; eò resstantibus ite-



ritum ventis ægre subuecti, ad Mingoaxanem Giloxæ regem ve-  
niunt amicum Lusitanorum: à quo benignè ac liberaliter accepti,  
facta etiam promulgandi Euangelii potestate, diutius tamen ibi  
non subsistere, quòd ad Manomotapæ Regem festinarent: quo  
vno ad Christum adiuncto, finitimos reges longè viribus atq; au-  
thoritate inferiores ad Christum deinde facilè perducì posse con-  
siderent. Hinc ad amnem ingentem tendunt Cuamam, leucas à  
Sofala triginta, ex quo rursus in Lindem proximum sinum perico-  
losa procella còpulsì, tredecim ibi sterere dies. Ab Linde cùm ad  
Cuamam denuo peruentum esset, in ipso introitu fluminis re diui-  
na peracta Consalvus à Lusitanis comitibus petiit primùm, vt  
quoniam fines Manomotapæ ingredi inciperent, totum legatio-  
nis suæ negotium Domino suppliciter commendare ne grauarentur:  
deinde vt æqui bonique facerent, si reliqua tota nauigatione  
se, vt precibus vacaret, ab eorum conspectu atque consuetudine  
remouisset: in rebus præsertim grauioribus consulto potissimùm  
Deo exoratoque opus esse. tum iubet in certa nauigii parte velum  
sibi prætendi, in eo recessu octo ipsos dies ita delituit, vt semel tan-  
tùm quotidie tostis ciceris pugillo & exiguæ haustu frigidæ sese  
reficeret, & quicquid à precatione supererat temporis, in euoluen-  
do libro consumeret, qui scriptas sanctorum continebat vitas.

Octauo igitur die, cùm ad Senam ( qui terminus nauigationis  
erat) venissent, vicum sanè frequentem, ibi descensum est, nuntius-  
que à Còsaluo ad Regem de suo aduentu in intima regni missus. à  
quo dum responsum expectat, interim Christianos aliquot in-  
quillos à peccatis per confessionem absolutos, à turpi concubi-  
narum consuetudine ad sacras nuptias legitimasque traduxit,  
catechismum publicè docuit, & è Lusitanorum seruitiis ibidè ca-  
pita ferè quingenta baptismo iustrauit. Regem etiam Inhamioris,  
Regis Manomotapæ stipendiarium, tribus passuum millibus à vico  
Sena, cùm aliquoties adiiisset, cohortationibus suis ita permoue-  
rat, vt se vnà cum vxore & liberis libentissimè Christianum fore  
proferetur. Sed Consalvus, partim quòd non haberet quem  
apud illum catechismi causa relinqueret, partim etiam ne Mono-  
motapæ Regis offenderet animum, si priùs stipendiario quàm ipsi-  
met Christiana sacra impertisset, Inhamioris Regem vt potuit cõ-  
solatus, hortatusque vt ipse cum suis Dei bonitate fretus in susce-  
pto consilio permaneret; totam rem in tempus aliud distulit. Iam-  
que alter effluerat mensis, cùm Antonius Caiadus Lusitanus, qui  
morabatur in vrbe Regia Manomotapa, legatus à Rege ad  
Consaluum aduenit Manomotapam perducendum. Consalvus  
factorum

factorum



sacrorum ornatu cum sacro lapide & calice in sarcinam colligato, sublatoque in humeros, se in viam dedit. Cum ad fluuios ventum erat, qui multi in ea regione sunt, siquidem vado superari possent, quamuis ad jugulum vsque pertingerent, transibat, manibus elar seu capite sarcina: sin minus, vasi ligneo impositum per amplexum Consaluum, natantes ipsi propellentésque trajiciebant Cafres, quoniam gentes ea appellantur. sub noctem natalém Domini ad Clutuchin pagum haud longè à Manomotapa ventum est, factumque ter sacrum summa Lusitanorum animi voluptate. Inde Natalium feriarum octaua, cum urbem Manomotapam introissent, mox confestim Rex, qui Consaluum cum muneribus viseret, auri potestatem ingenti, bobusque permultis, & famulatu ad ministeria quotidiana: quippe qui de Lusitanis mercatoribus iam antè cognoverat, Consaluum non modò vitæ sanctitate virtuteque præstare, sed etiam generis claritate ac nomine in primis esse conspicuum. Consalvus gratis actis, muneribusque repudiatis, ex ipso legatus Regem cogniturum esse respondit, quod genus auri quâvis detritias quæsiturus in ea loca venisset. Obstupuit ea animi magnitudine Rex, venientemque ad se deinde Consaluum tantâ gratulatione & significatione honoris excepit; quanta neminem unquam antea. Nam & in ipsa penetrabilia, quò nulli est aditus, introduxit; & assidente matre, considere Consaluum etiam in tæpe iussit, Antonioque Caiado è conclavis ianua interprete adhibito, Rex quatuor continuò sciscitatur, quot feminas, quid prædiorum, bouum denique vellet, quos incolæ non minoris quam aurum ipsum aestimare dicuntur. Cum nihil se præter ipsum Regem respondisset optare, conuersus ad interpretem inquit Rex: Prorsus èdò necesse est, qui nihil horum accipiat qui à cæteris tantopere adamantur, longo interuallo à reliquis distare mortalibus. Adhilominus ad extremum multa benignè pollicitus, amantissimis verbis Consaluum ad hospitium remisit. Ibi dum ille manere facit diuinam, è principibus quidam prætereuntes cum è foribus aspexissent in ara propositam perelegantem Mariæ Virginis imaginem, quam in tabula depictâ ex India Consalvus aduexerat. Prociæ decepti ad Regem deferunt, Consaluum egregia forma præcipue apud se habere, hortantur vt ab illo deposcat. Nec mora mittitur, qui Consaluo renuntiet, audisse se, illum vxorem secum adhibuisse: vehementer cupere, vt eam sibi sistat. Tum Consalvus tabulam præiosa veste inuolutam ad Regem affert. Cuius desiderium quo magis exacuat, præfatur illam esse effigiem matris Dei, cuius in ditio ac potestate sint omnes Reges & Imperatores orbis terrarum.



ra totius: ac tum denique tabulam aperit, Regis quoque matre  
 presente. Rex imaginem veneratus, Consaluum etiam atque etiam  
 obsecrat, eam sibi largiatur, domi habere se velle. Libenter verò  
 Consaluus annuit: quin etiam ipsemet in regio cubiculo collocat.  
 ibidemq; quasi sacellum quoddam precandi causa peristromatis pre-  
 tiosis exornat. Narrant qui inde venere Lusitani, noctibus dein-  
 ceptis circiter quinque, Reginam celi ea ipsa specie, quam tabula o-  
 stenderet, diuina circumfusam luce, suauisque splendore fulgentem,  
 augustissimo simul ac iucundissimo aspectu, dormitanti Regi asti-  
 tisse; quod ille manè matri narrabat, rei nouitate vehementer at-  
 tonitus, itemque Lusitanis, qui statim id Consaluo renuntiabant.  
 Postremò Rex Consaluus ipsum accersit, ait se mirum in modum an-  
 gi, quòd sermonem Reginæ eius, quæ secum singulis noctibus lo-  
 queretur, non intelligeret. Cui Consaluus cum eam esse linguam  
 diuinam dixisset, quam nemo nosset, nisi qui sacrosanctis eius Regi-  
 næ filii legibus pareret, quippe qui Deus esset, generisque totius  
 humani redemptor; Rex in presentia quidem, si minus verbis, vultu  
 certè ac significatione se Christianum velle fieri ostendit: bidui dein-  
 de spatio interiecto, per Antonium Caiadum Consaluo apertè de-  
 nuntiat, certum esse sibi matrique Christiana sacra suscipere: proin-  
 de ad se baptizandum quamprimum veniret. Consaluo tamè dies  
 aliquot superfedere satius visum, dum Rex Christianæ fidei præce-  
 ptis ac rudimentis imbuitur. quibus cum satis iam operam dedis-  
 se videretur, quinto circiter & vigesimo post aduentum suum die  
 Consaluus Regem simul & matrem non sine solenni pōpa & gra-  
 tulatione baptizat. Regi, Sebastiani: matri, Mariæ nomen est inditum.  
 Eo ipso die Rex Consaluo, quoniam aurum respueret, boues  
 centum donauit: ille ad Antonium Caiadum misit, vt in frustra  
 disiecti distribuerentur in pauperes. Quam eius liberalitatem ac be-  
 neficientiam populus ingenti cum admurmuratione suspexit. Regem  
 imitati trecenti ferme è regni proceribus, Christo sese pariter ad-  
 dixere. Hi nuquam à Consalui latere discedebant. adferebantur e-  
 tiam dona Consaluo: lac, oua, butyrum, hœdi, aliaque id genus: quæ  
 ille nec aliud genus carnis omnino gustabat; cocto duntaxat milio  
 quodam exiguo, herbisque & syluestribus victitans pomis. Iamque  
 spectata vitæ morumque sanctorum omnia studioque salutis humanæ,  
 tantam sibi summorum infimorumque benevolentiam conciliaue-  
 rat, tantisque in omnium animis effecerat motus, vt in Christianam  
 religionem vniuersa multitudo videretur incubere; cum à Maho-  
 metanis quattuor potentibus & callidis viris, & apud Regem gra-  
 tiosis, Consaluo paratur insidia. Auctor conspirationis Mosambi-



cānus Minguames nefariæ superstitionis antistes, siue, vt ipsi appellānt, Cacicius. ii Regi partim coram ipsi, partim per idoneum internuntium valde sibi dolere demonstrant, quodd tantum in capitis regniq̄ue discrimen vltro se ipse demiserit. Consaluū, cui tantum fidei & honoris habeat, missū Proregis Indiæ, terræq; Sophalæ regulatorum, ad explorandum Regis statum, sollicitandisque ad defectionem popularium animos aduenisse, vt motibus excitati ipsi deinde, infesto exercitu subsequuti, Regem opprimant. Addit insuper fabulosa portenta, Consaluum magum esse teterrimum omnium, & sagacissimum, varia veneficia ac medicamenta secum attulisse ad incolarum animos occupandos, Regemque mactandum. quicumque caput suum aqua perfundi paterentur, conceptus præsertim verbis langariorum (sic enim Lusitanos vocant) à Consaluo pronuntiatis, confestim volentes nolentes in eius potestatem venire: id ipsum alibi contigisse. proinde videret etiam atq; etiam Rex quò progredetur, cui se suaque crederet. Si Consaluum abire permittat incolumem, fore vt ciues mutuis inter se cadibus amentes atque lymphati miserandum in modum grassentur atque cōcurrant. Hisce a' iisq; mendaciis onerato Regi, adulescenti præsertim, ac matri, faciliè persuasum est, vt Consaluum primo quoque tempore interficiendum curarent. Nec dum ea cōsilia eruperant, clandestinis agitata colloquiis; cum ad Antonium Caiadū Consaluus, haud ignaro (inquit) mihi, nec imparato, monitū instat ab Rege. Caiado autem ita incredibilis visa res, vt subridere prorsus negaret. iamq; dies aduenerat necis, vel vitæ potius, quæ dies natalis erat idem D. Susannæ Virginis martyrisque: Consaluus ab Antonio magnopere petit, vt Lusitanos duos trêse ad se confestim accersat. Confessionem (inquit) illorum tuamque simul excipere, & sacra Eucharistia hodierno die reficere vos omnino constitui: nec enim postea potero. Hos ille dum absentes euocat, Consaluus ad meridiem vsque præstolatus, cum non adessent, consecratas consumpsit hostias duas: factisq; eodem die Christianis circiter quinquaginta, vestem ad corporis cultum, rosaria ad precandum diuisit. Lusitanos verò sub vespèram redeunt, confessionis Sacramento, quoniam Eucharistia non licebat, purgatos, mira vultus hilaritate animiq; tranquillitate animabat inscios quid ille conditum haberet in animo. Hisdem sacrorum apparatus dat in ædes Antonii deferendum. ipse lineatus, eam effigie Christi ad Crucem affixi, domi remansit, reuertentique rursus Caiado, pectus hominis manu leniter apprehendens: Antoni Caiade (inquit) profectò paratior ad mortem obeundam



ego sum, quam ipsimet inimici ad inferendam: Regi autem ac  
 matri libenter ignosco, Mahometanorum quippe artificis ac do-  
 lis inducti sunt. Hæc ille serena facie atque hilari cum dixisset,  
 Antonius ab eo digressus, tamen vix fieri posse putabat, ut Rex tā  
 nefario scelere sese obstringeret; tamen quoniam, ex recenti quo-  
 dam sermone, eius animum exulceratum, contra quam existimas-  
 set, offenderat; famulos duos ad Consaluum custodiendū ea no-  
 cte misit, a quibus ea, quæ sequuntur, accepta sunt: Consaluū, cum  
 secus diuersorium in area ad multā noctē, quasi è corporis custo-  
 dia exire gestiēti mora nimis longa videretur, ita citatis gressibus  
 ambulasset, oculis semper intentis in cælū, manibus modò subla-  
 tis ad sidera, modò Crutis in figuram extensis, dūcens ex intimo  
 corde suspiria; suum denique tugurium subiisse, fuisque precibus  
 coram Christi signo, quod vnum solatiū illi supererat, in arundi-  
 neum gratū decubuisse, & in somnum incidisse iustorū: id enim ex  
 insidiis cōspicati satellites octo circiter, illico irrūpunt; in iis bar-  
 barus nobilis nomine Mocrumes, qui sæpe cum Consaluo cōui-  
 uium inierat, iacētis pectus opprimit infidēq; arreptū inde pedi-  
 bus & brachiis, humo tollunt alii quattuor: duo reliqui collo in-  
 liciūt funem, quo vtrinque adducto, Consaluus expressam ex ore  
 naribusq; magnam sanguinis copiā effudit, & spiritū simul Domi-  
 no reddidit. Tum verò Christi simulacro sacrilegis manibus com-  
 minuto, defuncti corpus recte ligatum attractumque, interfecto-  
 res in præterfluentem Monsengessē deiiciunt, ne videlicet (quod  
 Mahometani cōfinxerant) cadaver ipsum tam malefici homi-  
 nis sub dio relictum veneni sui tabe cunctos inficeret. Hunc ha-  
 buit exitum pia Consalui legatio: quo sublato, Rex eadem sæuitia  
 percitus Christianos pariter quinquaginta, quos ille extremo die  
 suo pepererat, magistri donis exutos iubet occidi. Id simulatque  
 cognitum est, regni proceres, quos Encoles vocant, rei atrocitate  
 permoti, consensu adeunt Regem; & si hominibus (inquiunt) his-  
 ce mors idcirco debetur, quod aquam infundi capitibus suis à  
 Consaluo permiserint; eadem & omnium nostrū, & verò tua  
 quoque causa Rex est: omnibus vno eodem leto occumbendum.  
 Qua denuntiatione repressus Regis furor cum aliquantulum rese-  
 disse, eum biduo post Lusitani quoque conveniunt, docent quā  
 graui scelere sese obligauerit: terrores insuper addunt, non  
 Deum modò indignam innocentissimi viri necem debitis pœnis,  
 sed etiam homines ipsos nobilissimi, bello atque armis vltu-  
 ros. Ad ea Rex diligenter excusare sese, culpam in suasores im-  
 pulsoresque rejicere, magnum perpetrati facinoris dolorem ostē-  
 dere



dere, denique vt factis verba consentiant, è quattuor consiliariis duos confestim interficit: nam reliqui duo, quorum alter fuit princeps nefarii consilii Minguames, rem odorati, mature diffugerant: qui tamen, quòd summa diligentia conquirebantur, nequaquam euasuri potentissimi Regis manus existimabantur. Hisce rebus perlatis in Indiam, Antonius Quadrius noster, id ipsum vehementer optante Prorege, idoneam nauigandi tempestatem exspectabat, vt Socios aliquot Manomotapam mitteret ad cæpta promouenda, quæ felicem omnino progressum habitura sperabant, eius Ecclesiæ fundamētis tam innocenti castoque sanguine positis.

Nobis interea, carissimi fratres, omni cultu & obsequio propitiandus est Dominus; ac præter cæteros ipse quoque Syluaria suffragator adhibendus, vt pari spiritus ardore succensi, deuotas Christo animas, Dei gloriæ & salutis hominum causa, tandem aliquando fundamus. Goæ.

GASPARIS VILELÆ AD  
SOCIOS.



NON superiore, Cosmi Turriani missu, è Bunge discessurus Meacū, de mea profectioe feci vos per litteras certiores. Nunc, quoniã id fore vobis gratum atque iucundum existimo, ea persequar, quæ mihi ex eo tempore contigerunt: vt cum Deo Domino gratias agatis; tum fratrem hunc vestrū, & vestra consuetudine tanto locorum interuallo disunctum, supplicationibus vestris adiuuandum intelligatis.

Anno igitur à Virginis partu MDLIX, comite Christiano Iaponio, Laurentio nomine, probo iuvene, & lingua huius rerumque peritissimo, nauigium ethnicorum conscendimus: iter autem nostrum (quod facillè iudicari potuit) aduersarius multis rationibus impedire conatus est. primū enim ipso nauigationis initio tanta repente malacia ac tranquillitas extitit, vt naus loco moueri non posset. Tum barbari, vt muneribus pacem ventumque Diis obtinerent, stipem singillatim a vectoribus corrogare ceperunt. Vbi ad me ventum est, negavi me vnus Dei conditoris cæli terræque cultorem, in quo spes meas omnes haberem repositas, quidquam in ipsorum delubra collaturum. quo illi responso adeò excanduerunt, vt eius incommodi causam apud me residere, ac proinde me in mare projiciendum esse affirmarent. Hic nos ad Deum